













Disputatio I.

Continens *δέξοδον* *ισοπίκτω*

PROFORMV:  
LA CHRISTIANÆ  
CONCORDIAE.

*Quam assistente divinâ gratiâ*

SUB PRAESIDIO

*Reverendi & clarissimi Vri,*

Dn. LEONHARTI  
HUTTERI D. ET PROFESSO-  
ris in celebri Academiâ Vuitebergensi Publici  
in Collegio disputationum Theologicarum  
privato proponit & exhibet

HERMANNUS SAMSONIUS  
Rigâ-Livonus.

*Ad diem 30. Iulij, anno 1603. ho-  
ris pomeridianis.*

VVITEBERGAE, Ex Officina Cratoniana.





*Reverenda dignitate eximia pietate doctrina multiplici omnique  
virtutum & prudentiæ genere eminentis-  
simis viris,*

**Dn. SALOMONI GESNERO**

*&*

**Dn. DAVIDI RUNGIO**

**SS. THEOLOGIAE DOCTORIBVS, ET**  
*in illustrissimo Electorali Lycaeo professoribus pub-  
licis, Praeceptoribus meis fidelissimis, &  
perpetim colendis.*

NEC NON

*Reverendis, Clarissimis, rerum usu praestantissimis, omnibusque  
virtutum & doctrinae dotibus praecellentissimis Viris,  
Ecclesiae patriae ministris fidelissimis &  
vigilantissimis,*

**Dominis Meccenatibus & amicis meis magnis, par-  
tim in gratitudinis & observantiae attestatio-  
nem: partim in publicum amoris & bene-  
volentiae μνημόσυνον**

*Hoc praesens historica ἐξελόσεως pro formula Christianae Con-  
cordiae ἱερογύμνασια à me concinnatum*

demisè offero & consecro

Respondens.







ΔΙΕΞΟΔΟΣ ΙΣΤΟΡΙΚΗ  
Pro Formulâ Christianæ Concordiæ.

**D**epositum nobis est παναγίῃ θεῷ ἐρανόθεν περίσσειον  
καὶ εὐτυχῶν ἄνθρωπων *articulos Christianæ Concordiæ*  
thesium cancellis includere, & sub *Disputationis* incudem vo-  
care. Verùm quò sanctius hoc repurgatæ doctrinæ opus est: eò  
etiam maiori & insatiabili prorsus odio iuratus ille Ecclesiæ an-  
tagonista diabolus contra idem exarsit.

2. Vt enim auctoritatem libri huius aliquo modo vel elevaret, vel etiam pror-  
sus tolleret, stabella & squamas suas ad hoc extimulavit & usus est: ut modo la-  
tentibus cuniculis, per sparsos hinc inde pasquillos & chartas somosas, modò aperto  
Marte eam oppugnaret, & in odij ac invidiæ crimen apud pios traduceret.

3. Proinde cum sanctum hoc *Concordiæ* opus ἐξομολογήσεως καὶ μαρτυρίας  
nostræ symbolum sit, æquum omnino est: ut antequam ad insequentium articulo-  
rum ἀνάλυσιν descendamus, pro auctoritate eius asserenda tanquam pro aris &  
focis pugnemus: considerantes formulâ veterem iurisiurandi Attici præstiti à militi-  
bus quæ talis erat: Ἐκαστος ὁπλιτῶν ὄψατα τὰ ἱερά, ἔδ' ἐγκαλαλείψω τὸν παρα-  
στάτην, ὅλω ἂν σοιχῆσω: ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὀσίων καὶ μό-  
νῃ καὶ μέγα πολλῶν, καὶ ἱερά ἴα πάτρια τιμήσω.

4. Nam ex hoc libro ut & reliquis Ecclesiarum nostrarum scriptis symbolicis,  
juxta Dei verbum fidei nostræ rationem coram tribunali Iesu Christi in conspectu  
angelorū & hominū reddere, & Loiolistas ac Calvinianos confundere parati sumus.

5. Historicam igitur hanc διέξοδον perspicua brevitate constantem primæ  
disputationis loco præmittemus: deq; omnibus, quæ ad rem facere videbuntur bre-  
viter quidem, sed veraciter pium lectorem erudiemus.

6. Vt autem μεθόδως καὶ εὐλόγως istud fiat, placet totum hoc negotium  
ad isthæc subsequentiâ sex capita redigere: ut 1. Sit de auctore huius libri. 2. de  
occasione, processu & causis tum scriptionem tum publicationem libri huius suaden-  
tibus imò urgentibus. 3. de sine & auctoritate libri huius: 4. de Canone in di-  
judicandis controversiis. 5. de dissimilitudine inter scripturam sacram & scripta Ec-  
clesiastica ac Symbolica. 6. Quinam sint pro libris symbolicis Ecclesiarum nostra-  
rum γνησίων habendi.

## CAPUT I. De auctore huius Libri.

1. Auctorem huius libri sive αὐτὸν λόγιον non humanum consilium, non carnem & sanguinem Matth. 16. v. 17. sed ipsum Spiritum sanctum constituimus, qui per os Prophetarum olim locutus est 2. Pet. 1. v. 21. & omnis sapientiae largitor est Iacob 1. v. 5. quiq; in hac vergente mundi aetate principaliter hoc opus cogitavit & perfecit.

2. Hinc fit ut librum hunc Θεόπνευστον indigitare minimè dubitemus, servato tamen discrimine, quod scripturam sacram & scripta symbolica à se invicem determinat, de quo infra.

3. Superstructus enim est hic liber immotis fundamentis nempe oraculis divinis Spiritus sancti: hoc est fundamento Prophetarum & Apostolorum, cuius summus angularis lapis est Iesus Christus: Ephes. 2. v. 20.

3. Qua causa fuit, quod indefessus ille diaboli conatus, consutis exquisitissimis mendaciis librum hunc sceleratissime deformare, imò e medio tollere studuit Ioan. 8. v. 44. Apoc. 9. & ad hoc obtinendum tanquam ἐγγοδιώκῃς multa organa modo inter hos, modo inter illos excitavit.

4. Quo ad causam mediatam & proximam, qua Spiritus sanctus in hoc opere perficiendo usus est, inter reliquos Electores ac principes locum facile primarium meretur Christianissimus Elector Saxoniae AVGVSTVS, qui magno studio scriptum hoc pacificatorium adornari curavit: operam nunquam satis laudatam hac in parte navantibus D. Iacobo Andreae, D. Martino Chemnitio, D. Andrea Musculo, D. Davide Chytraeo, D. Nicolao Selneccero, & D. Christophoro Cornero.

## CAPUT II.

### De occasione, processu & causis tum scriptionem tum publicationem libri huius suadentibus imò urgentibus.

1. Tres autem fuerunt causae praeagnantes ac urgentes, quae conscribendae formulae Concordiae ἀφορμὴν praeberunt. Primariam constituunt varia illae concervationes & συρράξεις, quae inter Theologos Augustanae Confessionis de praecipuis Religionis Christianae Articulis sunt obortae. Nam cum Electum illud Dei organum D. Lutherus anno 1546: rebus humanis eximeretur, mox purior Ecclesia διχνοσθεύεις Theologicis ceu diluvio quodam fuit obruta: imò non defuerunt, qui sub venerando pallio Lutheri Calvinianum virus plenis cataractis in Ecclesiam effundere studerent.

2. Hinc

2. Hinc clancularij quidam Calvinistæ Catechismum quendam studiose juventuti obtruserunt, in quo (ut reliqua Calvinianæ pestis philtrea silentio iam involvamus) hæc cænæ descriptio tradita fuit: quod esset ceremonia instituta ad significandum, quod Christus suum corpus tradidisset, & sanguinem effudisset in remissionem eius, qui hanc ceremoniam fide acciperet.

3. Hinc etiam factum, ut alius Catechismus à Pseudo-theologis VVitebergensibus eaderetur, in quo verba Petri Act. 3. ὅτι δὲ ἔρανον δὲ ζῶντος ἀδελφῶν ambigua & perversa versione citantur hunc in mundū. Oportet Christū celo capi. Et cum de eo ab aliis monebantur, furore statim perciti ydem Calviniani alium publicarunt librum, cuius titulus est: ἑσπεύοντα grundtvest aller Ketzerey newe vnd alce. Hinc etiam factum, ut multi libri blasphemiarum pleni Geneva & alibi contra Saxonicas Ecclesias scripti, VVitebergæ recuderentur charta simili adhibita & titulo addito, quasi Geneva impressi essent. Hæc Selneccerus in declamationibus suis.

4. Atq; iste quidem Paroxysmus & tristis omnino cribratio inde ab obitu B. Lutheri usq; ad annum 1574 duravit: quo tandem deprehenso Crypto-Calvinistarum dolo nequissimo, Casparus Cruciger optimi patris pessimus filius, Henricus Molterus, Christophorus Pezelus, & Fridericus VVidebramus tanquam perfidi & periuri Sacramentarij ab Electore Augusto ob perfidiam, peierationes & alia facinora, viris Theologis longè indignissima ab officio remoti fuerunt.

5. Sed neque sic finis malorum erat, quin inter reliquos etiam Doctores Ecclesiæ Augustanæ Confessioni addictos, pomum Eridos projecit Diabolus, ut à doctrina purioris ac invariata illius Augustanæ confessionis haud parum discederent, aut certe mentem eius non satis assequerentur. Hic certè ipsa necessitas & sancta Ecclesiæ salus flagitabat, ut controversiæ illæ ex verbo Dei perspicuè explicarentur.

6. Altera causa, quæ occasionem præbuit formulæ Concordiæ conscribenda, debetur hostium veritatis cavillationibus, quibus nostros lancinabāt, quasi de religione sua essent incerti, quod haberent menstruam confessionem: quippe quam toties variaverint, ut nemini constare queat, quænam vera sit primòq; exhibita Augustana Confessio. Item vix duos reperiri Augustanæ Confessionis socios, qui in omnibus articulis sint ὁμολογητοί.

7. Eo cum proh dolor redactæ essent res Augustanæ Confessionis, anno Christi 1558. in conventu septemvirum Electorum Francofurti ad Mærum pia sollicitudine consultum, & è re Ecclesiæ fore iudicatum est, ut Electores protestantes initia ac fundamenta quædam certamque formam ineunda in nostris Ecclesiis firmæ alicuius concordie ponerent.

8. Sicut etiam tunc temporis controversia sacræ cænæ ita decisa fuit, ut restatum facerent Electores & principes, & ordines Imperij ibi congregati, de hoc articulo non

lo non aliter suis in Ecclesiis doceri, quam Augustanae Confessionis prototypum, & Catechismi D. Lutheri habeant & doceant.

9. Vnde etiam factum, ut anno 1561. Naumburgi Electores, Principes & reliqui ordines Protestantium convenerint, & tam acriter pro prima & invariata Augustana confessione pugnarint, ut antea nunquam.

10. Tertia causa quae occasionem formulae Concordiae conscribendae praebuit, est Sacramentarium *παραρτήσια*. Hi enim sub fraudulenta *ὑποκρίσει* & schemate August: Confess: specioso Calvinistica sua zizania in agro domini serere & spargere ceperunt.

11. Necessitas itaque urgentissima fuit, ut articuli fidei praecipui secundum scripturam & Augustanae Confessionis *ὑποκρίσεις* sic appellatae mentem explicarentur, & errores pugnantes *διὰ πρῆξιν* rejicerentur, id quod in formula Concordiae abunde satis praestitutum est. Haecenus de occasione.

12. Quod verò attinet Processum, qui in conscribendo hoc libro observatus fuit, is breviter sic habet. Repressis quodammodo Crypto-Calvinistarum factionibus, usque extirpatis, gliscebant adhuc *συνταξίαι* de peccato, de libero arbitrio, de usu legis tertio, & definitione Evangelij, deque aliis Articulis, inter Theologos Augustanae Confessionis addictos.

13. Harum ergo tollendarum gratia Elector Saxon: Augustus de consilio IVLII ducis Brunsvicensis 12. Theologos Orthodoxos in arcem Lichtenberg ad Albim convocavit: communicato consilio ab his deliberari cupiens, quoniam pacto dissidiorum seges avertecurari, concordiae verò seminante Theologos seri possent.

14. Hi tribus potissimum n. edis malo huic obviam iri posse censebant. 1. ut contentiones personales privatae ad orcum relegarentur. 2. Ut oblitteratis & proscrip- tis Calvinistarum libris pro norma doctrinae haberentur sola scripta prophetica & Apostolica: & ex his extracta tria Oecumenica symbola, Augustanae Confessionis prototypum, Catechismi duo Lutheri, Smalcaldii articuli: quibus, si ita videretur, adungi posset Commentarius Lutheri in Epistolam ad Galatas. Tandem ut conventus institueretur Theologorum, qui in praesentia Electorum & principum scriptum aliquod pacificatorium conscriberent.

15. Hoc ipsorum ergo consilium piissimus Elector executurus, non suarum saltem Academiarum Theologos, sed extraneos etiam de consilio Landgrafy VVil- helmi Hassiae convocari curavit, inque ipsos laborem conscribendi eiusmodi librum coniecit. Cui clementissimo mandato ipsi obtemperantes, opus hoc concinnarunt, & Formulam Christianae Concordiae indigarunt.

16. Eum ita librum feliciter ad umbilicum perductum piissimus Elector posthabita omni mora ad reliquos Electores, principes, ordinesque imperij Confessionis Augustanae

Augustana addictos transmisit, petens, ut singuli remotis omnibus anticipatis suffragiis & praeiudicijs sententiam suam candidè & liberè aperirent.

17. Quae censura cum ad Electorem pervenissent, sex supra nominatos Theologos ad canobium Bergense propè Magdeburgum ablegavit, inq; mandatis dedit, ut secundum transmissas censuras librum Concordiae examinarent, & accurate elibrarent & elimarent.

18. Quod mandatum ab illis Theologis bona fide completum, atq; ita hoc opus adeo perfectè iam elaboratum fuit, ut omni amplius censura superius censeretur, & ab omnibus Orthodoxis pro Symbolo Ecclesiarum nostrarum haberetur.

19. Iam restat, ut in hoc secundo capite discipiamus, quibus de causis liber hic Concordiae imprimi, & per universum Christianum orbem evulgari debuerit. Hic autem quinq; satis praegnantibus nobis oboriuntur causae.

20. 1. Est, ut hoc pacto nostri contestarentur, se ne latum pilum aut unguem à prototypo Augustanae Confessionis discessisse. 2. Se nunquam variatam Augustanae Confessionis editionem in ea sententia accepisse, quae native sententia prototypi adversaretur. 3. Ut φιλοεικόις & elatis ingenijs crepidines figerentur quibus se intra ὑποτύπωσιν ὑγιαίνόντων λόγων coercerent, neq; pro lubitu novas loquendi formulas comminiscerentur. 4. Ut pateret nostros à Romanensibus, Calvinianis, Maionistis, Osiandristis, Philippistis, & alijs huius farinae hominibus δις δια πασῶν discrepare. 5. & ultimo ut καλήν παρακαλαθῆκην τῆς ὀρθοδοξίας ad posteritatem transmitterent. Haecenus de cap: 2. sequitur

### CAPUT III.

#### De auctoritate libri Concordiae adversus inanes Adversariorum morsus.

1. Auctoritatem Formulae Concordiae duobus ἀδελύτοις argumentis facillimè obtinere possumus. 1. Enim quia Formula isthoc per omnia ὁμόψηφος est sacrae scripturae, & διὰ πάντων cum ea consentit: utiq; eatenus tantam meretur fidem, quantam unquam liber symbolicus, qui testis & interpretis est veritatis, sibi vindicare potest.

2. 2. Quemadmodum Augustana Confessio, quae post scripturam, libri Concordiae basis est, praesentissimum opponit antidotum quorumvis haereticorum veneno: Ita etiam liber Concordiae scripturarum illud verum alexicon nobis suggerit,

quo hereticorum incantamenta sustinere possimus. Atq; ita auctoritas libri concordie persistit. ἀμεταβάλητος καὶ ἀνανήσθητος.

3. Et quamvis nostrarum Ecclesiarum antagonista plaustra convitiarum & mendaciorum cumulent, quibus auctoritatem libri Concordie assertam disturbent & convellant: ea tamen ita sunt comparata, ut nullo fere adnoto ariete facile per se collabasciant: uti ex ipsa velitatione liquido patebit.

### CAPUT III.

#### De canone in dijudicandis controversijs.

1. Hic διαρρήδην respondemus, sacras literas solas pro canone & norma fidei nos agnoscere, & nullatenus maiorum decreta, quocunq; veniant nomine, illis anteferre, neq; scripturam ad humani ingenij ἐρμηνείαν detorquendam esse.

2. Valeat hic illud Lutheri: Oportere Christianos & omnes patres omniaq; concilia ad pedes Christi & Apostolorum sedere & audire, quæ illi dicant, non dicere, quæ illi audiant.

3. Valeant hic duo illa scripture πολυδύλλατα effata, quæ concordia nostra citat Psal: 119. v. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & lumen sentis meis Gal: 1. v. 5. Etiamsi Angelus de cælo prædicet aliud Evangelium, anathema sit.

4. Alium canonem aliumq; controversiarum decidendarum iudicem agnoscere religio nobis est, quantumvis ringantur & crepent Lioioliæ: quippe hoc ipsum Dei verbum vox iudicis futurum est in novissimo die Ioan: 12. v. 48. Rom: 2. v. 17. Et Spiritus sanctus per verbum hoc arguens vocatur spiritus iudicij Esa. 4. vers. 4.

5. Attendite Pontificuli Augustinum, qui verbis suis tanquam caduceo quodam os vestrum obverberat lib: 2. contra Cresconium. Non sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omnino iudicare non audemus: & secundum quos de cæteris vel fidelium vel infidelium libris iudicamus:

sequitur

CA-

## CAPUT V.

Anne Scriptura sacra aliquid discriminis ha-  
beat à Scriptis Ecclesiasticis & Symbolicis?

& num: hæc invicem unius ejusdemq;  
sint generis?

1. Quod prioris questionis decisionem attinet, respondemus, quantum di-  
scrimen est inter demonstrationes ipsamq; immotam veritatem sive proprias rei  
causas: & inter veritatis ac demonstratae ex proprijs causis scientia testimonia, tanto  
intervallo istas nostrarum Ecclesiarum ἐξομολογήσεως & καληχησεως infra sacras  
litteras collocamus.
2. Nam 1. ipsa sacra Scriptura est ἀμπελόπιωτ & καυτέπις & regula  
veritatis: Scripta vero Symbolica ad eam examinari debent. Illa enim non va-  
lent per se, sed propter consensum cum sacris literis: Et argumentum ex libris  
Symbolicis translatum non est primum sed secundarium tantum. Huc faciunt  
dicta Esa. 9. v. 20. Luc. 16. v. 29. Actor. 26. v. 22. Rom. 10. v. 17. Gal. 1. v. 8.
3. Imò Scripta Symbolica testium & interpretum vice funguntur, & tan-  
tum de fundamento illo seu de sententia Iudicis fideliter testantur.
4. Usurpamus autem illa propter quatuor causas. Quarum prima est, quia  
ex sacris literis sunt demonstrata. 2. Quia pulcherrima methodo omnia reli-  
gionis capita brevissimè exponunt. 3. Quia μαρτυρία & Ἀξιοχῆ maio-  
rum nostrorum, qui assistente Spiritus sancti gratiâ ea consecerunt, ad nos perve-  
nerunt. 4. Quia hæc Scripta sunt character atq; index rectè docentium: nec  
non ἀψευδῆς nota qua heretici dijudicantur.
5. Quod posterius ζῆτῆμενον attinet, quod scripta Symbolica seu Ecclesiasti-  
ca inter se confert: ad id satis Φανερώς Concordia nostra respondet, quod non  
sint unius ejusdemq; generis.
6. Symbola enim universalis Ecclesie Catholice calculo atq; suffragio ratifica-  
ta & asserta longè maiorem auctoritatem sibi vendicant, præ reliquis Symbolis,  
qua paucarum tantum particularium Ecclesiarum sunt propria.
7. Quo respectu Augustanam Confessionem, articulos Smalcaldicos, Scripta  
Lutheri, Formulam Concordia tribus illis Oecumenicis Symbolis, Apostolico scilicet  
Niceno, & Athanasiano non quidem ratione certitudinis, sed ratione auctoritatis  
& antiquitatis longè postponimus.
8. Atq; ita ex hisce predictis nemini obscurum esse potest, quomodo Romanen-  
sium & Calvinistarum λοιδωγία & βλασφημία in auram evanescant: dum  
nugantur, nos Homologetica nostra symbola pro quinto habere Evangelio, & sacris  
Scripturis equiparare. Imò

9. Imo aniles nugæ sunt Leberide nudiores, quæ in Pontificiorum libris hinc inde perstrepunt; quod his nostris homologeticis Symbolis vetera illa Symbola extra Ecclesie potiora eliminare, eorundemq; auctoritatem convellere conemur.

10. Responsum vero hoc à nobis capians, eos committere paralogismum τῆ μὴ αἰλῆς ἐὼς αἰλῆς. Nos enim veterum Symbolorum ὁρθοδοξίαν potius stabilire quam labefactare studemus: patet hoc statim ex 1. articulo August. Confess:

11. Huc etiam facit illud, quod Ecclesie concessum est, exurgentibus novis hæresibus, novam etiam confessionis formulam non quidem ratione materia, sed dispositionis & tractationis concinnare: qua Orthodoxi tanquam certa tessera & κρῖνον ab hæreticis dignoscantur: heterodoxi vero improbentur & reiiciantur.

12. Exemplo nobis sint Symbolum Apostolicum Nicenum, & Athanasianum quæ licet diversis temporibus scripta & edita: non tamen sibi invicem adversantur, neq; se mutuo destruunt: sed iuncta quasi manu Ecclesie commoda magis promovent & iuvant. Idem statuunt Pontificuli de nostris Symbolis: quippè quæ cum veteribus non pugnant, & ad unum eundem finem sive scopum collineant: sequitur.

#### CAPUT VI.

Quenam sint illa Symbola, quorum auctoritas in dijudicandis controversiis ἐπομένως valere debeat?

1. Hanc questionem Concordia nostra pariter ut reliquis nobis decidit atq; ait: se primas tribuere tribus illis Symbolis Oecumenicis: secundas prototypo Augustane Confessionis eiusq; Apologia: tertias articulis Smalcaldicis: quartas utriq; Catechismo Lutheri maiori & minori: postremas demq; solide illi declarationi controversorum articulorum, quam hic ipse Liber Concordie exhibet.

2. Hæc publica quæ enumeravimus scripta in Ecclesia Augustane Confessionis γρησῖος addictis semper eo loco sunt habita, & adhuc habentur, quod ἡ ἐπιπέτυξις ὑγιαίνόντων λόγων & sacrosanctæ ac immotæ doctrine Filij Dei veluti summam quandam ac perspicuam brevemq; μέθοδον continent.

Precamur autem aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut sanctum verbi sui depositum apud nos sartum & tectum conservare, fidelesq; semper doctores excitare velit, qui repressis hæreticorum erroribus veram & salutarem doctrinam proponere, & corda populorum per eandem ad Deum convertere possint.

Amen.


Ev



Ἐν ἀποδείξει μέρει libuit quædam ἀποδείματα  
adjicere.


1. Anne per publicationem Concordiæ Christianæ Scripta Melanthonis simpliciter abrogentur? N.
2. Anne Formula Concordiæ causa sit divulsionis Lutheri & Melanthonis? N.
3. Anne Augustana Confessio quæ Libro Concordiæ est inserta, verum sit exemplar congruens cum prototypo? A.
4. Anne Calviniani sint socii Augustanæ Confessionis, & ad fœdus pacis, quod nostri per Augustanam Confessionem primitus obtinuerunt pertineant? N.
5. 1. An per novam quandam, & nuper admodum excogitam Religionis ἀνομιαν sive libertatem, cui libet liberum sit relinquendum, quid credere velit, quid non? 2. An item Magistratus pius subditos suos ad certam Confessionis formulam, velle ramento, vel alio quopiam pacto, astringere nec possit nec debeat? quemadmodum in hac sententiam disputat (sed ἀθεολόγως) larvatus quidam rabula Anhaltinus, qui partim sub fictitio nomine Antonii Benbellonæ de Godentiis Tempestivum uti vocat (intempestivum certè) suscitabulum hac de re in lucem edidit: partim vero rursus sub larvata persona Bernhardini de S. Georgio, in prefatione quapiam, hanc ipsam cramben recognoscere voluit. Nos paucis respondemus: Si prius illud asseratur, & talis aliqua ἀνομία, sive Religionis libertas concedatur: tum non modò quibusvis Religionibus, sed potissimum atheismo & Epicureismo non fenestras, sed portas bipatentes aperiri. Sin posterius hoc affirmetur: tum Magistratui politico curam primæ rabulae penitus eripi. Sed forte hac de re alibi ex professo, si (quod nuper minatus est) Rabula iste partum suum, in quo laborare dicitur, plane enixus fuerit.

F I N I S.





Contin  
**P R O**  
 LA CH  
 CO  
*Quam ass*  
 S U B  
 Re:veren  
 Dn. **LE**  
 HUTTERI  
 ris in celebri Aca  
 in Collegio di  
 privato  
 HERMAN  
 Ri  
*Ad diem*  
 VVITEBERG



4

